Sacris ordinibus non-ritè initiati, *tenentur ad eos* ritè ineundos.

IN *Thamiſin Rhodanus* turbatas devehit undas,
 Et noſtra inſanis littora vaſtat aquis.
Lemani ſeſe tentant attollere fluctus,
 Et Lacus Oceano bella movere parat.
Dux facti auratis fulget *Calvinus* in armis,
 Innumeriſque ferox claſsibus alta premit.
Neſcio quos vehit ille *Senes*, & nomina priſcis
 Non audita viris, & nova jura crepat.
Nos pia ſimplicitas, nos prima ac purior ætas,
 Æterniq; movent juſſa tremenda Dei.
Non ſacras patimur leges & vinc'la reſolvi,
 Non adeò faciles in nova damna ſumus.
Quid populi furias, & murmura vana timemus?
 Quid rabies? tetricæ quid potuêre minæ?
Nos ritus *priſci*, & *veterum* reverentia *Patrum*,
 Nos tenet *antiquæ Relligionis* amor.
At vos, qui tumidæ voluiſtis cedere genti,
 Vos non-calcatum qui tenuiſtis iter,
Deſinite, & *noſtras* tandem *redeatis* ad aras,
 Non juvat ulteriùs *Gallica caſtra* ſequi.
Expetit amplexus *Eccleſia* nota *priores*,
 Et pandit placidum *Mater* amica ſinum:
Illa quidem natos, quos devius egerat error,
 Inque ſuas ædes, & ſua jura vocat.
Nam neq; ſupremum fas eſt fraudâſſe Tonantem,
 Devotúmque Deo ſurripuiſſe Caput:
Nec leges violâſſe licet, quas cana vetuſtas
 Juſſerat à ſera poſteritate coli.

ERGO,

Qui modò noſtra *novus* veniſti in templa *ſacerdos*,
 Nec firmare potes, nec revocare gradum,
Mitratos apices, & quos tegit infula crines
 Proſtratus ſummâ cum pietate petas;
Sic tua *ſacratus* curabis ovilia *Paſtor*,
 Te ducente gregem, ſic bene ſemper eant.

Non datur Purgatorium Pontificium, *aut* Platonicum.

VEl meritó. Nec enim levia aut ludicra rependet
 Fata Deus meritis, & ſtant ſua præmia factis.
Eſt *Locus aeriis longè ſemotus ab oris*,
Quò ſe proponit manifeſta in luce videndum
Ipſe Deus, propiúsque piis ſe mentibus infert:
Juſtitia hæc immota colit loca, lancibus æquis
Expendens quæ facta virûm: queîs vivere curæ eſt
Haud cœli immemores, & tactos Numine vero
Aſcribit cœlo, quos ipſo è fonte voluptas
Demulcet, liquidíſque uberrima gaudia rivis.
At quos fœdus amor mundi in peccata volentes
Egerit, excipient æternis *Tartara* flammis,
Et tortor *Satanas*, tortus magìs omnibus ipſe:
Nec mora, nec requies: ſedet, æternúmque ſedebit
Pœna illis, precibúſque hoc jus revocabile nullis.
At Sancti clamore legunt decreta ſecundo
Juſtitiæ, legéſque pias mirantur, & ipſo
Jura olim edocti, ſanctóque oracula libro
Inter eos unus, longè *celſiſsimus*, omnes
Eminet *Origines*, nec jam tranſcribit *Olympo*
Quicquid id eſt *Erebi*: jam nunc juvat eſſe modeſtum,
Spéſque avidas revocare, & tantis parcere votis.
Non eadem *Romæ* tamen & ſententia cœlo eſt;
Vertit *Roma Acheronta*, atque imo *Tartara* fundo,
Eximit inferno manes, atque inſerit aſtris.
Et quiſquam ſtupet, *Aſtronomos* aſcribere cœlo
Serpenteſq;, *Urſóſq;*, & factos aſtra *Leones*;
Cùm fœdi manes & adhuc tortoris olentes
Sulphura, & ignitâ latè loca fœta *Mephiti*,
Quiq; ferunt maculas etiamnum in fronte recentes,
Lividáq; heſterni retinent veſtigia flagri,
Scilicet exiguo argento, & mox vindice *Papâ*
Elapſi, loca pura colent, & dummodo *Romæ*
Sic viſum fuerit, nec digna *Quiritibus* illis?
Tantum Relligio? ---
Tu quoque cede Deo, totúmq; in pectora Numen
Accipias, & prona Dei veſtigia adores,
Infelix *Ratio*, mundóque haud æqua futuro,
Heu nimiùm cœca, & multo notiſsima lapſu.
Túne etiam muſſas, ipſos te poſſe *Nerones*,
Sejanos, & quicquid habent jam *Tartara* diri
Eripere, & licèt haud unum recreare valebat
Vel guttâ *Abramus*, Tu, Tu tamen omnibus una
Æternos præſtare putas, te vindice, faſtos?
Pone animos, nec fige Deo temeraria leges.
En! Vidén' ut germana Fides tua temperat uni
Obſequitúrque Deo, totúmque itâ ſubjicit orbem,
Fatorum Regina, volentibus imperat aſtris.
Illa tamen morietur, eris tu ſola ſuperſtes.
Ah! Sapias tandem, & cœlo te crede faventi;
Nam ſoli ſapuiſſe Deo prudentia ſumma eſt.

Julii 7. 1663. In die Comitiorum, Reſpondente M[ro]. Morton *S. T. B. & Coll. D.* Joan. *Soc.*